

V C
5022



h.



ENSIFER , PACIFER:

Qui est

*Serenissimus ac Potentissimus Princeps
ac Dominus,*

DN. JOH. GEORGIUS, II.

Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium, S. Rom. Im-
perii Archimareschallus & Elector , Landgravius Thurin-
giae, Marchio Misniae & Utriusq; Lusatia, Burggravius Mag-
deburgi, Comes de Marca & Ravensberg, Dominus
in Ravenstein,

**DOMINUS AC NUTRI-
TIUS NOSTER**

Clementissimus,

Pacis ac Laetitiae Publicae

Dator Munificentissimus,

In Solennissima Panegyri,

Die Eucharistico

II. Nov. A. M DC LXXIX.

Jussu & Autoritate

ACADEMIAE LIPSIENSIS

Celebratus

à

D. VAL. ALBERTI, P. P.

Facult. Philos. h. t. Decano.



LIPSIÆ,

STANNO COLERIANO.



De
JOH. GEORGIO II.

PACIFICO,

Ex

Horat. Odar. L. IV. 15.

ad Cas. Augustum.

JAnum Quirini clausit: & ordinem
Rectum & vaganti fræna licentiæ
Injecit: amovitq; culpas:

Et veteres revocavit artes.



Custode rerum SAXONE, non furor

Civilis aut vis eximet otium:

Non ira, quæ procudit enses,

Et miseras inimicat urbes.

V. Alberti.



PAx Vobiscum! Quod enim totus Orbis Christianus, quod omnes ejus hostes audiant & obstupescant, Pacem per annos non paucos Exulem jam reducit Deus, reductamq; festivissimis hodiè ceremoniis excipit Pacificus noster Elector, *Johannes Georgius Secundus*, excipiendamq; præit ac præcipit nobis. Pax Vobiscum! utinam æternum, quæ æterna est inita. Pax Vobiscum! utinam ubiqve, quæ inter omnes Europæ gentes, bello hæctenus implicitas, est sancita. Cancrinus erat incessus Mali, cum Gallus arma moturus adversus alios, regrederetur ex Occidente in vicinas Belgii provincias: Sed progressus natantis Delphini, aut volantis Aquilæ videbatur esse; tam velociter invadebat, inficiebat diffitas à se paci; deditas regiones! At verò, DEI Gratiâ, cancrinus etiam motus illud feliciter abstulit. Regressi sunt, qui in arenam descenderant, populi studio pacis, nullasq; nisi hujus facturi sunt progressiones. Quiescit Aquila, postquam Gallus est sedatus. Virentem Lauream induit Septentrio, postquam candidis iterum liliis Occidens exsplendescit. Mare fluctus componit suos, postquam terram nullo motu concuti, metu nullo fluctuare conspicit. Pagi atqve urbes pacem & justitiam osculis certare vident, postquam Ambitus campo est pulsus. O felicitas hujus temporis, nullo satis ævo de prædicanda! Tibi verò, *Electore Serenissime*, qui non postremus illius Autor fuisti, vel maximè incumbit, favere operi Tuo, idq; decenti solennitate decorare; quid? lætitiæ publicæ, cujus causa es, præsidere. Scio, quid dicam; tantumq; novi à specie adulationis hanc abesse

A

VOCEM

vocem meam, quantum adest à falsitate. Ad Te, inquam, *Serenissime*, Pax, recuperatum illud Europæ Palladium, jure longè maximo spectat; nec quisquam est, qui tam invidus sit aut ingratus, ut quantum ejus nomine nos fidei, fortitudini, prudentiæ, dexteritati Tuæ debeamus, non agnoscat nec fateatur. Quem enim latent curæ Tuæ, quas antequam malum in actum erumperet, Tu suadendo Pacem fovendoq; fidelissimè adhibuisti? Quem fugiunt heroica illa specimina Tua, quibus, dum durante bellò, Cæsari & Imperio fidem strenuè approbâsti, Provinciis Tuis securitatem, Tibi Autoritatem & famam masculè asseruisti? Quem præterit, Te Paci hætenus extorri Legatos obviam misisse, cunctantemq; Tua ope operaq; Tua feliciter reduxisse? Salus corporis, postquam ægrotus convalescit ex morbo, Medico adscribenda est: Ita temperies, *Elector Pacifice*, atq; salubritas publica, quam Tuo merito restituiisti aliis, magnam partem vindicanda est Tibi. Integritas ædium, postquam extinctus est ignis, maximè debetur illis, qui manus, ad sedandum incendium, feliciter admoverunt: Sic Tibi, *Domine Indulgentissime*, vigor atq; nitor, quem inter medias belli flammæ alii, Tuobeneficio, receperunt, jure tribuitur. Tuum nimirum, *Serenissime*, hoc fuit negotium hætenus, ut publicum & securum, quod solius pacis est, otium aliis restituere, Tibi ac nobis conservare. Inter arma pacem quæsisisti, invenisti; imo ut togam aliis indueres, Tuos sago coopertos vidisti. Quàm bellè Studium hoc tuum, quod bello impendisti propter Pacem, jam referent, ea, quibus, Summorum Principum more, lætitiâ Tuam Dresdæ hòc tempore per non paucos dies oculis aliorum atq; auribus expones. Bellum alia, sed per lufum, alia pacem designare poterunt aut referre. Sonant hodiè, tonant circa Te tormenta bellica magno numero & impetu, quibus cum confusus sclopetorum fragor concentum bellicum inibit, continuabit. Ignita jacula

cula vibrabit nox, publicoq; gaudio, diei æmula, sub magna flammarum & figurarum varietate, sine strage ac ruina litabit. Hastis certabitur à cursoribus, heroico ritu, quantumq; valeant robore feriēdiq; notitia, manq; illustres experimento non minùs quam lusu docebunt. Sed belli memoriam, quæ his exercitationibus videtur nutriri, svavitas delebit theatrorum, pacisq; jucunditatem per venustatē Chorearū milleq; Rosciorum agitationes & motus effigiabit. Pietas ante omnia, cujus solennissimum hoc die specimen datur ab ipso Patriæ Patre, ad pacem respiciet, eamq; publico applausu, Cōservatorem ejus & Restauratorē, Deum O. M. ardentissimā gratiarū actione prosequetur. Quod officium quib9 inter subditos imponat necessitatē æmulandi potius quā nobis? aut quomodo tantum DEI beneficium rectiùs agnoscam9 & deprædicemus, quàm quùm per Principē Nostrum cælitùs id nobis datum & collatum esse fatemur? Literæ, quas docemus, pacem amant, & à Pacifico Principe amantur. Utrūq; hoc DEI munus est, Princeps non minùs Pacificus, à quo amamur, quàm Pax, quam amamus. Hanc cùm pariat ille, ipsi vicissim hæc titulum ex se gignit, reliquis omnib9, qui tanti Principis ex vero & decoro esse possent, longè splendidiorē. *Pacificus* est Elector Noster; quid sanctius? quid honestius? quid utilius? *An satius fuit, felicem vocare? quod non moribus sed fortunæ datum est. Satius Magnum? cui plus invidiæ quàm pulchritudinis inest.* Ausim hęc applicare ad *Johannem Georgium II.* quæ olim de Trajano dicebantur. Nomen enim Pacifici, quod Nostro decernit veritas, non minùs ac Optimi, quod illi adjecerat fortè adulatio, certamen cum aliis hujusmodi titulis inire vincereq; illos ac triumphare potest. Ambigeremus aliàs, *Serenissime Princeps*, à qua virtute aut merito Tuo, cùm ingens utrinq; numerus in Te compareat, mutuari vocem debeamus, quam peculiarē Tibi & propriam votum nostrorum nostræq; ac

secuturæ ætatis consensus facere possit ; nisi simul omnia, quæ de Te dici possunt , uno isto nomine continerentur. *Fridericus Primus*, cui primo inter Marchiones Misniæ fasces Electorales , quos Virtus ejus exambierat , favor Imperatoris Sigismundi contulit, obrestrenuè fortiterq; gestas *Bellicosus* omnium ore dicitur atq; celebratur. Tu, *Princeps Pacifice*, Titulum hunc Tuum nec mereri satis nec decenter sustinere potuisses, nisi fortitudo Tua nomine ac autoritate Principis Bellicosi prius Te munivisset. Qvis putet? Bellum & Pax adversâ fronte concurrunt, quiq; blandis hujus amplexibus gaudet, truculentis illius grassationibus non videtur favere aut vacare posse. At verò: hoc, seculum est: mores hominum ita sunt comparati, ut imbellibus bellicosi aures vix præbeant, armaq; in gratiam inermium deponere dedignentur. Pacem verò cum Tu, *Potentissime Elector*, meditareris unicè, militem, qui justî exercitûs numerum ac robur assequeretur, maturè collegisti, aluisti, auxisti; qui Provincias Tuas non tantum invasione aliorum noxiòq; transitu innumnes præstaret, sed & suppetias ferret illis, quibus vel ex officii vel foederis religione deberentur. Enimverò, parum videbatur Tibi esse, nec sumptibus parcere nec Viris, quibus spem concordiaë & salutis publicæ sustineres; nisi Filium Tuum Unicum, hæredem fortunæ ac Virtutis Tuæ dignissimum, Decus Nostrum feræq; spem ac præsidium posteritatis, *Johannem Georgium III.* paludamento se periculisq; maximis involvere, modò his extricaretur Salus Publica, insolito exemplo permisisses. Neq; n. prospicere ipsum castra tantum, brevemq; militiã quasi transire, sed per duas æstates turmis militaribus imperatoriũ pulverem sudoremq; ac propè sanguinẽ miscere, vidisti, quia indulgisti. Ita domi ac foris, robore ac virtute militis propriiq; sanguinis Tui conspicuus, quĩ Bellicosi nomẽ non obtinuisses? Quomodo consilia Tua de pace, quæ non procul ab

ar-

armis nata erant, armatis displicuissent? Sic evento non
minùs ac studiũ Tuum, Te, quẽ necessitas Bellicosum
fecerat, Pacificũ sed simul *Placidum* præstitit & demõ-
stravit. Nomen hoc inter Majores Tuos *Fridericò II.*
sumã, quã erat, clementia in subditos, maximaq; quã er-
ga Wilhelmum Fratrem, novarũ subindè rerũ Studiofum,
in bello civili utebatur, æquanimitas, applausu omnium
pepererat. Tua verò, *Placidissime Princeps*, hæc est fe-
licitas, ut in nullo bello intestino nomen Placidi Te ac-
quirere oportuerit. Fratres Tui, Principes Maximi, Te
quantũ diligunt, tantũ colunt, quodq; ambiunt impe-
trantq; fraterni amoris fœdus, studiis & officiis suis ipsi
servant integrũ & illibatum. Subditi Tui, beneficiorum
Tuorũ non minùs ac debiti sui memores, gloriam obse-
quii vèdicant sibi; nihil prætereà, nisi quod Tibi placeat,
vel expetentes vel expectantes. Nihil autẽ dicam de iis,
quæ utrisq; amore aut gratiã in vicem rependisti; Nihil
comemorabo eorũ, quib9 studia illorum atq; officia fra-
ternè paterneq; provocãsti; sufficiat, Te, ut validè Paci-
ficus esse potueris, tũm fidelissimos subditos Tuos, ad
nervũ rerum agendarum refovendũ, satis benignè ha-
buisse, tũm in perpetuũ fœd9 cum amantissimis Fratri-
bus Tuis coaluisse, divisasq; dominiis provincias amicã
Dominorum unione copulãsse. Dresda Lipsiaq; memo-
res adhuc sunt felicitatis suæ, quã durantibus hisce tur-
bis ex præsentia vestra nõ una vice perceperunt. Unus-
quisq; nostrũm vultus vestros, ad fraternã familiaritatẽ
feriasq; de Patria curas compositos, lætus adhuc intue-
tur, eosdemq; tam hostibus terrori quàm amicis solatio
fuisse gloriatur. Nec mirum est, Cognatos Tuos, Princi-
pes ex Ernestina Prosapia inclutissimos, quos comunio
sãguinis Fratrib9 Tuis admovet propiùs, arctissimo fœ-
dere Tibi conjunctos fuisse, cùm alios ad tam laudabilẽ
admiseris societatem, quibus-cum nulla, nisi virtutis &
curæ pro Egregio Publico, cognatio Tibi intercedit.
Hunc nimirum in modum Te Placidum esse decebat, ut
efficaciter Pacificus esse valueris. Sed, quã *Sapientem*
Te

Tesimul hoc ipso exhibuisti? Sic *Fridericum III.* reddidisti nobis, Principē tot Sapientiæ speciminibus clarū, ut hæc tanta Virtus nomen suū in ipsum spontè derivaret. Oriatur tempestas; navis jactetur fluctibus; imineat ruina; quā prudentē judicabūt illi nautā, qui periculo ipsos eripit? Europa vehementi ac diuturna tēpestate commovebatur; quid? pars ejus non una jam submergebatur: quā sapientē censebimus esse Principē Nostrum, qui cōmuni naufragio nos abduxit, & ne in portu, infidiosā tranquillitate, navicula everteretur, prospexit? Patiamur aliās, Ajacem, audacē hominem strenuumq; manu forti quā consiliis, apud Poētā, niti, studioq; militaris gloriæ his, contradicente tamen Ulyssē, palmā eripere. Dicātur Viri fortes *Regni dextra, columna Imperii, ara salutis publicæ*; quibus elogiis Nobiles Galliæ militiā clari, præ Heroibus in Toga, Senatoribus supremarū curiarū, eminere se, nostro adhuc Seculo in Comitibus Rothomagi habitis splendidè gloriabantur. Principem tamē, cui invidia potentiorum aut æmulatio, majora meditati obicem ponere potest, utiliūs paci quā bello studere, certissimo experiētiae testimonio jam dudū comprobatum fuit. Harum regionum, ut domi habitemus, tanta sub Augusto Electore fuit felicitas, quāta sperari unquā aut optari potest. Sed qualis Augustus? Haud alius, quā Tui, *Electore Pacifico*, simillimus; qui *laudē bellicā virtute in familia sua partā pacis studiis ferè semper excoluit; qui se pacis & tranquillitatis publicæ studiosissimū præbuit; qui dissidiorū inter Principes ac civitates, quādiu vixit, tanquā Conciliator & arbiter rerū Imperii ac moderator extitit.* Agnoscis, Domine, veritatis testem Gallū, qui Proavū Tuum his verbis, historicā, quod est, optimā fide agens, cōdecoravit. Admittes & Tu, *Princeps Indulgentiss.* imò præstabis, ut eadē elogia, quæ nos hodiè verissimè aptam⁹ Tibi, sera posteritas possit repetere, Teq; Pacificū, se felicē prædicare. Ad hoc obtinendum Sapientiā, quanta potest esse, cum est maxima, usq; es, uteris; domi ac foris media omnia, quibus op⁹ est, circūspexisti, circūspicis. Absit, ut in Arcana Tua nos, quibus

Scholæ pulpita, non penetralia Aulæ patent, temerè ir-
ruamq; publicatamen Sapientiæ Tuæ specimina, quæ in
apricum secretiores cogitationes protraxerunt, licebit
nobis humillimè venerari. Omnium rerum primum
est Tempus. Num hoc postposuisti aut neglexisti?
Nondum exarserat funesta belli flamma, cùm Tu ad
extinguendam eam properares. Auditi hunc in fi-
nem aliorum à Te Legati; Tui ad alios missi. Ignem
conceperant remotæ vicinæq; regiones; Tu Tuam
non minùs quàm cõmunem rem agi animadvertens,
non oleum sed aquam, five illa blandioribus five rigi-
dioribus manibus esset affundenda, jam per internun-
cios, jam per milites Tuos tempestivè apportâsti. In-
cendium tandem, ne conflagrarent omnia, vi viaq;;
quâ poterat fieri, prorsus compescendum erat: Tu il-
lud consiliis Tuis; quid? alloquiis tuis, Mediator in,
Legatis Tuis præsentissimus, felicissimè restinxisti.
Vidimus nos, uno tempore Te in Occidentem ac Se-
ptentrionem, ad sumos Reges, Legatos Tuos ablega-
re. Novimus, exceptos eos habitosq; fuisse huma-
nissimè, haud aliter ac si Te, sanguinem suum, præsen-
tem exoscularentur. Lætatur, pacem, quæ te pen-
tia inter lilia videbatur effloruisse, sub frigido Aquilo-
ne ad maturitatem, Tuo adspirante Favonio, pervenis-
se; nec tam cõmutatam ibi quàm consummatam esse.
Gestit animus tentatq; lingua illorum nomina expri-
mere, qui horum officiorum, itinerum laborumq; mo-
lestiam, Te Autore, in se receperunt, ut molem
belli ab aliis amoverent: Sed illi laude ministerii con-
tenti, gloriam facti meritò in solidum Tibi, *Domine*,
relinquunt. Gallia ferat, quam sibi impressit, Gallus Hi-
storicus expressit, maculam, quòd captâ Rupellâ, in æ-
nea Tabula, quæ victoriam Magistratq; de subditis refer-
ret, lateri Regis junctus sit Minister: *Non est unius
hominis tantum opus. Duo sunt. Ludovicus fecit, Ar-
mandus invenit.* Longè rectior est Nostrorum con-
sci-

scientia, quàm ut Te suo ore tantùm locutum esse,
Tuâ Sapientiâ & Autoritate rem omnem Te ipsum
confecisse dissimulent aut ignorent. Tu, *Princeps
Pacifice*, anteqvameos illuc mitteres, ita Te gessisti, ut
officium Conciliatoris, quod expleturus eras, sine su-
spicione inferre, sine querela gerere potuerint. O quan-
ta hæc Sapiencia Tua! Tu, cùm decerneres eorum ab-
legationem, saluberrimis præceptis animos ipsorum
calamosq; instruxisti, quibus unicè uterentur, niteren-
tur. O quæ Sapiencia iterum Tua! Sed, ô quanta
etiam Tua *Magnanimitas*, quâ felicissimè, quod auspi-
catò incepisti, nunc ad finem perduxisti. *Johanni Fri-
derico* Electori cognomen indidit hæc virtus, tristissi-
mo eventu; Tibi, *Elector Magnanime*, lætissimo. Opus,
quod meditabaris, plenum videbatur esse aleæ atq; pe-
riculi. Reges diffidebant, quorum aures sæpius ad ne-
xum obstruit diadema, ut voces Amicorum optimè cu-
pientium minùs possint exaudiri. Fortunæ favor aut er-
ror iudicio Tuo erat submittendus, ut, quæ deflexisse
viderentur nimis, in ordinem redigerentur. Quàm ar-
duum, aggredi hoc & suscipere; quid? perficere ac con-
summare! Tu verò, *Elector Pacifice*, magno animo tot
tantasq; difficultates sprevisisti, superasti, nullumq; ali-
um curarum Tuarum, quàm belli finem esse voluisti. O
quantum hoc meritum Tuum! quanta Tua hæc Gloria!
In Te Pacifico revixerunt, qui inter Antecessores Tuos
nomen à Pace in sacro fonte acceperunt, Fridericus
Bellicosus, Fridericus Placidus, Fridericus Sapiens, Jo-
hannes Fridericus Magnanimus. Æquum esset, ut reli-
quos etiam, quibus è Ducibus aut Electoribus Saxonix,
vel Pietas, vel Fortitudo, vel Constantia, vel Justitia, vel
alia Virtus nomen imposuit, arcesseremq; tecumq; con-
ferremus. Sed quid opus est, cùm in Te Pacifico illos in-
veniamus, amemus, veneremur universos?

*Sidera pace vigent, consistunt terrea pace;
Nil placitum sine pace DEO.*

Hanc

Hanc cùm in deliciis habeas, cùm foveas domi, foris recuperes, conserves utrobiq; num Te Pium, num Fortem, num Constantem, num Justum esse ambigemus? Utinam has virtutes Tuas sicq; nostram felicitatem rectè ponderaremus, æstimaremus! Utinam tantorum beneficiorum usu dignos nos præberemus, probaremus! Indiciu[m] divinæ bonitatis, quod in Republica est maximum, meritò judicatur Princeps tempori conveniens, qui ad hujus quàm suum arbitrium malit se gerere, clavumq; imperii gubernare. Romæ urbi nunquam ad orbis dominium licuisset adspirare, nisi, cùm fundamenta ejus per arma essent jacienda, Bellicoso Romulo paruisset; mox, ubi ferocientes civium animi temperie opus haberent, Numam Legislatorem audivisset. Nec nobis hâc felicitate frui daretur, nisi post *Johannem Georgium I.* Heroem ad prælia Domini gerenda divinitus electum, Davidem Nostrum, hoc tempore, quo pace vel maximè indigemus, Salomon, *Johannes Georgius II.* Pacis Princeps, superesset, præesset. Fortunæ, securitas atq; salus eorum, quotquot Confessioni Augustanæ sunt addicti, omnium in gravissimum discrimen adductæ erant, sævientibus in se mutuò præcipuis ejus propugnatoribus, seq; ipsos invidiæ aliorum aut perfidiæ immolantibus. O divinam benignitatem & Sapientiam, quæ è nostris regionibus hodiè non minùs internuncios pacis quàm olim præcones Evangelii ad eos ablegavit, & quos cœlum & terra ipsumq; mare junxit, animis distare ulterius non permisit. Nostri temporis hæc est fortuna, quam tamen posterì Nostri certò promittere possunt sibi, quoties spem suam, arrham felicitatis suæ, *Johannem Georgium III.* natum ex oriente Pacis Osnabrügensis Aurorâ Principem, bello exercitatum, sed pacis studiosum, Filium Pacifici Parentis concorditer æmulum, lætissimâ fronte intuentur. Hic est, qui pacem inter paternam hæreditatem reperiet, qui repertam custodiet,

diet, qui custoditam amplificare suisq; Successoribus integram transmittere allaborabit. Sentio, me, quò magis hæc bona nostra animo meo reputo, intimè affici, visceribusq; meis plenissimè in gaudium effusis ad officium hujus diei proprium persolvendum exstimulari. Jussi sumus à Principe, gratias agere DEO; Sed pro quo potiùs, quam pro ipso? Pacem dedit nobis, commune atq; publicum lætitiæ argumentum. Sed hanc absq; Pacifico Principe accipere non potuissemus. Agnosce hoc munus Tuum, DEUS Optime Maxime! quemadmodum nos Datorem ejus Te, gratissimi agnoscimus & veneramur. Nihil, cum pretiosissimum sit, addi potest, præter perpetuitatem. Hanc adjice. Serva illum; sic servabis nobis Fridericos Bellicosos, Fridericos Placidos, Fridericos Sapientes, Johannes Fridericos Magnanimos; quia servabis Pacificum, vivum illorum omnium Compendium. Tuere domum ejus totam, quæ ex Conjuge ac Nuru, Pari longè Illustrissimo, Johannes Georgios Tertios & Quartos, pluresq; alios, Statores salutis Nostræ, sine fine dabit, quia Pacificos dabit; qui studio Pacis & usu, sicut ex Majoribus ipsorum fortitudine Mauriti, frugalitate Augusti, æquanimitate Christiani, monstrabuntur. Pax Nobiscum! Pax in Ecclesia, sed militante, ut adversus errores pugnare ne cessemus. Pax in foro, sed Justitiæ officina, ut bellum vitiis indicere ne negligamus. Pax in ædibus nostris, sed Campis Martiis, in quos Tyrones Militiæ Christianæ adversus Diabolum, Mundum & carnem nostram alacriter educamus. Sic inter inducias Seculi nascetur nobis in Coelo Pax æterna.

Pax Nobiscum!

D I X I.



is
ò
f-
d
n-
d
s,
d
9.
e!
o-
t,
.
s,
es
ri-
n
u-
l-
ia
ri-
i,
o-
r-
æ
ix
es
&
u-

ULB Halle 3
004 824 334


1077





h. 3, 49.

V c
5022

ENSIFER , PACIFER:

Qui est
*Serenissimus ac Potentissimus Princeps
ac Dominus,*

DN. JOH. GEORGIUS, II.

Dux Saxoniae, Imperii Archimaresburgiae, Marchio Misnensium, Com...

tium, S. Rom. Imperii Landgravius Thuringiae, Burggravius Magburgensis, Dominus

DOMINUS

NUTRI-

In Sole

Panegyri,

II.

XXIX.

ACAD

SIENSIS

D. V

I, P. P.

ano.

ANO.

